



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Sigismvndvs Rex. 1. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. SIGISMVNDVS REX. 1. Maij.

**Q**uoties noverca ex patre vitricum fecit: Sa-  
 nè SIGISMVNDVM Burgundionum Regem,  
 eò artibus suis impulit, ut filium Sigericum, qua-  
 si patrem regno exuere cogitasset, vità ipse exue-  
 ret. Verùm aspersas filij cruore manus tam multis  
 lavit lacrymis, ut quem sic pœniteret, pœnè inno-  
 cens dici posset. Monitus tamen ab ignoto nescio  
 quo sene, & suam potiùs vitam, quàm filii (qui ca-  
 lo frueretur) mortem desistere jussus, ad D. Mauritij  
 tumulum abiit, causamque illi commendavit; age-  
 ret hanc, ut suam olim apud DEVM: adesse faten-  
 tem reum: supplicia precari, non deprecari: savi-  
 ret nunc etiam pater Deus, modò olim iudex par-  
 ceret. quam pœnam tam nocens filius meruisset,  
 tum se monstrasse, cùm innocentem occideret.  
 Lacrymis non posse satis elui manus; sanguine pos-  
 se, sed suo; huic fundendo jam se initium dedisse,  
 cùm filii funderet: quem malè libasset, rectiùs li-  
 taturum sese. Et verò damnatus voti est: bella  
 enim in annum D. XXVI. à Clodomiro Gallo-  
 rum Rege petitus, captusque, & capite plexus,  
 in puteum est abjectus. Sed tam ignobile sepul-  
 chrum pœnitentis illustrius cantu suo lumini-  
 busque calum fecit; quin ægri magno numero  
 morti jam proximi sanitatem inde suam hause-  
 runt, itaque quam uni eripuit vitam, longè pluri-  
 mis SIGISMVNDVS restituit. *Ex Gregor. Turon.*

*Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ:  
 & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogi-  
 tatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis  
 anime confitentis per lacrymas profuatur. S. Aug. lib.  
 50. Hom.*